



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Cap. XVI. De Priore, Sacrista, & Camerario, nec non Cappellanis, Clericis, &
sacelli Ministris, atque priuilegijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

DE PRIORE, SACRISTA,
ET CAMERARIO;

Necnon Cappellanis, Clericis, & Sacelli Ministris; atque privilegijs.

Caput XVI.

Ex bella fund.
& dot. huius sacelli.



DOTEST de his omnibus ex Bulla erutis cognosci, cuius hæc sunt verba: Quoniam verò maxime censuimus, ut in hac Cappella noua, ipsa Beatissima Virgo, & illius imago prædicta, non solum in marmoribus, lapidibus, figuris, picturisq; imaginibus, & ornamentis prædictis, sed etiam, & multo magis in Missæ sacrificio, veraque, & actuali corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi filij sui oblatione, diuinisq; officijs iugiter honoretur, diuinusque cultus non temporalibus modo, sed spiritualibus quoque ornamentis, & rebus augeatur; in eadem Cappella noua unum Prioratum, pro uno Priore, & duodecim Cappellanas pro duodecim Cappellanis perpetuis, ex quibus unus Sacrista, & alius Camerarius etiam sint, nec non quatuor Clericatus pro quatuor Cappellanis amouibilibus creximus, & instituimus, ac etiam Cappella nouæ diuersa secularia, & forsân regularia beneficia Ecclesiastica uniuimus, illorumque fructus, redditus, & proventus, ac emolumenta in dotem assignauimus, Litanijs quoque certis præscriptis diebus decantandas instituimus, ac ipsam Cappellam nouam, & illius Sacella, Altaria, eorumque Sacristiam diuersis Sanctorum, & Sanctarum reliquijs argento tectis, nec non paramentis, ornamentis, ac Ecclesiastica supellectile, alijsque utensilibus necessarijs abundè instruximus, priuilegijs, & gratijs temporalibus, & spiritualibus decorauimus, & alia etiam unire, applicare, dare, & concedere (Deo dante) intendimus. Et infra. Ut autem tam Prior, Cappellani, Sacrista, Camerarius Clerici, quam alij dictæ Cappellæ Ministri quicumque certò sciant, que, & qualia sint eorum seruitia, munia, onera, & instituta, ac in illis à quoquam quouis prætextu minime impediatur, seu ab illis distrahantur, motu, scientia, & potestate similibus declarauimus, statuimus, & ordinauimus quod Prior, & Cappellani prædicti omnibus diebus Dominijs, ac etiam omnibus ipsis Beate Mariæ Virginis festiuitatibus singuli singulas Missas, & intra quamlibet hebdomadam singuli alias duas Missas per seipfos, non autem per alium, seu

Seruitium incumbens Priori Sacristæ, Camerario & Clericis in Cappella.

A alios Sacerdotes celebrare, ac in solemnitatibus, in quibus Capitulum, & Canonici dictæ Basilicæ, in dicta Cappella horas Canonicas, & alia diuina officia, ut infra celebrabunt, cotta superinduti Missis, & horis Canonicis, alijsque diuinis officijs, tam diurnis, quam nocturnis in scamno, & loco per Cardinalem Protectorem instituto designando personaliter interesse teneantur; ac tam Prior, quam Cappellani prædicti in simul unum Collegium cum arca, mensa, & sigillo communibus alijsq; Collegialibus insignibus ad instar aliorum similium Collegiorum, tam in prædicta, quam in alijs quibuscunque dictæ Urbis Basilicis, & Ecclesijs institutorum constituentur, inbique habitum per alios Cappellanos deferri solitum, deferre possint, &c. Et infra: Nos enim dicti Cardinalis de Toledo, & quamuis aliam dispositionem quatenus opus sit, quoad hæc sufficienter commutamus. Clerici autem prædicti, qui honeste, & bone indolis, à pro tempore existente Patrono dictæ Cappellæ, ac ad eius nutum amouibiles deputentur; Priori Cappellanis, & Sacristæ in diuinis inseruire, & obsequia, & onera ipsi pro tempore imposta præstare teneantur. Porro ex fructibus, redditibus, & prouentibus dictæ Cappellæ pro eorundem Prioris, Cappellanorum, & Clericorum dote, & sustentatione, ut præferatur assignatis, scilicet ex massa Ecclesiæ suppressæ prædictæ tantum annis singulis Prior trecenta, singuli verò Cappellani centum, & qui fuerint Sacrista, vel Camerarius alia quinquaginta pro quolibet, singuli verò Clerici sexaginta scuta moneta habeant, atque percipiant, & Clericis singulis mensibus præcisè, Priori verò, & Cappellanis etiam menstruatim, si pecunie prompte fuerint, sin autem in terminis inter eos statuendis illa persoluantur, & quicquid ex eorum dote, & mensa singulis annis solutis summis prædictis supererit in fine anni in duas æquales portiones diuidatur, quarum una inter ipsos Priorem, Cappellanos, & Clericos pro virili distribuatur, & altera dote, & mensæ propriæ ipsius Cappellæ, ac illius fabricæ, & Sacristiæ ad Patroni prædicti omnimodam, et liberam dispositionem augeatur, & consignetur. ac tam Prior, quam Cappellani, & Clerici prædicti ad verè, & personaliter, continueque in Vrbe residendum, ac debita seruitia, & obsequia præstandum; Sacrista verò cum duobus saltem ex quatuor Clericis prædictis ad continuò in mansionibus dictæ Cappellæ habitandum, interdicitur omninò Priori, & Cappellanis, & Clericis huiusmodi ab Vrbe absentia, ac Sacristæ, et Clericis prædictis extra mansiones dictæ Cappellæ pernoctatione sub amissionis fructuum, alijsq; pænis per Card. Protectorem in statutorum editione irrogandis, & declaradis obligati existant, &c.

Prior & Cappellani faciunt Collegiū, habentq; insignia collegialia, & possunt de ferre habitum aliorum Cappellanorum.

Ex massa communi Prioris, & Cappellæ datur quolibet an. scu. 300. Priori, & scu. 100. singulis Capp. nec non scu. 50. pro Sacrista & alia 50. pro Cam. & 60. cuiuslibet ex Clericis.

Jacobo S. Rom. Card. Intra & Virg. tra nos cura manent.

A Virg. Intra dispositione in Processu detrahant.

DE SA-